N° 24

DE

MEDICORUM

APUD

VETERES ROMANOS

DEGENTIUM CONDITIONE

DISSERTATIO;

QUA

CONTRA VIROS CELEBERRIMOS

JAC. SPONIUM & *RICH. MEADIUM*, M.D.D.

Servilem atque Ignobilem eam fuisse

OSTENDITUR.

AUTHORE

CONYERS MIDDLETON, S.T.P.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS PROTO-BIBLIOTHECARIO.

Proſtant venales *Cantabrigiæ* apud EDMUNDUM JEFFERY, Bibliopolam. M.DCC.XXVI.

DE

MEDICORUM

APUD

VETERES ROMANOS

Degentium Conditione

DISSERTATIO, &c.

VESPERI nuper cum Amici aliquot in Bibliothecam meam pro more coiſſemus, ſermones cum familiares, tum eruditos etiam fortaſſe in noctem uſq; producturi; cumq; unà, pro copia illa quam Cantabrigia noſtra facilè ſuppeditat, ex ſingulis ferè Scientiis docti aliqui adeſſent; poſteaquam, ut in congreſſu ſolemus, novi quicquid vel in re literariâ vel publicâ evenerat, in commune ſinguli contuliſſemus; Medico quodam, qui ex Collegio Regali convenerat, viro in primis probo atq; erudito, nonnulla fortè de Variolis apud nos tunc graſſantibus interrogato; paucíſq; in-

de de variâ curandi Methodo diſputatis; ad Medicinam ſenſim labi ſermo, inq; Artis ipſius præmiis & honoribus, Collegiiq; præcipuè Londinenſis famâ & celebritate totus verſari cæpit.

TUM ego; quàm vero, inquam, diverſa eſt apud nos rei Medicæ facies, ac Romæ olim fuit, ubi ignobilis per tot ſecula, atq; abjecta Ars ipſa jacuit, non niſi à Servis atq; extremæ ſortis hominibus tractata; quamq; tanquam illiberalem ac Cive prorſus indignam, de Romanis quidem nemo attingere ſit dignatus? Hìc autem Medicus noſter ſubridens, haud crediſſe ſe, inquit, priſca illa, ac obſoleta planè quorundam commenta, fidem adhuc apud ullos invenire; quæ ſæpius confutata, doctorum pleriq; tanquam vana & futilia jam diu repudiaſſent; quæq; *Meadius* ipſe, Medicorum longè Princeps, oratione quadam Londini haud dudum habitâ, mera eſſe opprobria demonſtraverat, omnemq; illam ſervitutis infamiam à *Medicis* prorſus in *Chirurgos* amoverat.

EGO vero, Meadii licet Autoritate graviter commotus, cujus quidem Orationem necdum videram, ne tamen quæ dixeram, temerè planè, nulloq; Auctore effutiſſe viderer, haud deſtiti alia ſane multa in eandem ſententiam diſſerere, & nonnulla Veterum teſtimonia, quæ memoriæ tunc ſuppetebant, plura etiam ex ſchedulis pollicitus, ad cauſam, quam ſuſceperam, confirmandam adducere: neq; dicere dubitavi, *Meadium* ipſum duplicitèr planè labi videri; primùm, quòd *Medicos olim Romæ liberos eſſe & ingenuos*; deinde, quòd *Chirurgos à cæteris Medicis diſtingui* omnino & *ſegregari* putaret; cum Utroſq; communi cum nomine, tum conditione apud Veteres Romanos uſos ſemper eſſe certiſſimum eſſet.

PRODUCTA adeo paulatim hac noſtrâ diſputatione, & familiaritèr admodum, ut inter Amicos, ultro citroq; pluribus verbis agitatâ; interfatus demum *Juris Civilis Profeſſor Regius*, Vir ſummâ modeſtiâ, pariq; eruditione; mihi ſe planè aſſentire dixit; propterea quod apud Veteres Juriſperitos in *Servorum familiis Medicos ſemper recenſeri* animadvertiſſet;

madvertisset; [1] quibus tamen is honos habitus; ut in *Servis familiam ducerent*; ac in Mancipiorum venditionibus cæteris omnibus *pluris æstimarentur*. *Chirurgos* autem quod attinebat; haud credere se, a *reliquis Medicis* antiquitùs eos sejungi; at contra; quasi ii potius pro Medicis soli essent habendi; non meminisse aliam in Jure Civili Medicorum fieri mentionem, [2] ac eorum, qui *manu curare*, seu *secare* consueverint.

Bakerus deniq; noster, qui colloquiis hisce nostris, non interesse solum, sed pro illâ, quâ præstat omnibus, Antiquitatis cognitione, præesse etiam solebat; cum opinioni meæ, suæ etiam sententiæ pondus, tanquam cumulum quendam adjecisset; tum instare omnes; ut hanc totam quæstionem, levitèr jam ac fortuitò inchoatam, accuratiùs ipse tractandam atq; ad finem perducendam susciperem; quæq; memoritèr tunc disputaram, quæq; ex schedulis plura promiseram, in ordinem, quam primùm per otium liceret, redigerem, atq; alio aliquo conventu nostro recitanda proponerem. Horum itaq; Autoritati obsecutus, ea omnia, quæ ad hanc causam pertinere, totamq; complecti videntur, collegi statim, atq; in hanc, quæ sequitur, perpetuæ dissertationis formam conjeci.

Apud veteres Romanos Medendi artem non solum minùs excultam, sed ne cognitam quidem esse, ex Monumentorum omnium silentio suspicari fas est. Cum enim alia omnia, quæ ad vitam, cultumq; civilem pertinent, accuratè legibus descripta, atq; egregiè sint constituta; nihil tamen in omni Civitatis temperatione, de Medicina unquam, vel à

[1] Servis autem & Ancillis majoribus decem annis, si sine arte sint, viginti solidis æstimandis; sin autem Artifices, ad triginta solidos æstimatione eorum procedente. Notarios quinquaginta solidos æstimari, Medicos autem & Obstetrices sexaginta. l. 3. Cod. Commun. de legat. *&c.*

[2] Si Medicus Servum imperitè secuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquiliâ competere Actionem. l. 7. § 5. ad leg. Aquil.

Regibus, vel à Conſulibus inſtitutum, aut præceptum reperitur: Nec per plura deinceps ab Urbe condita ſecula, ullius unquam Medici fama, nomenvè memoriæ traditur; vel artis quidem ipſius ulla ferè à Scriptoribus fit mentio. Neq; mirum ſane raram ibi rei fieri mentionem, cujus rarum fuiſſe uſum neceſſe ſit; apud homines ſcilicet, ſummâ temperantiâ educatos, ſummiſq; laboribus exercitatos; quorum valetudini, uti ait *Valerius Maximus*, [1] quaſi *quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis.* Eadem quippe cauſa, nimirùm vitæ victûſq; tenuitas, Urbem & Medicis & Morbis ſimul vacuam ſervabat; dum *illos* nec præmiis, nec quæſtûs ſpe ulla allicere paupertas civium valebat; atq; *his* parca illa vivendi ratio omnem quaſi materiam præcidens, medendi planè uſui ſuperſedebat. Nobilium interea pleriq; valetudinis tuendæ diſciplinam quandam in ſuâ quiſq; familiâ inſtituiſſe videntur, ut *Cato Senior* apud Plutarchum, [2] cum magno Medicorum omnium contemptu, gloriatur, ſe oleribus, carnibuſq; ad concoquendum facilioribus, ſuam ſuorumq; valetudinem conſervare ſolere.

In hoc rerum ſtatu Rempublicam ſine Medicis ad ſexcenteſimum uſq; annum floruiſſe narrat [3] Plinius; qui tamen haud ita accipiendus eſt, quaſi neminem omnino per tot ſecula Medicinæ operam dediſſe aſſeruiſſet; quum Medicos, qualeſcunq; tandem ii fuerint, diu ante Romæ extitiſſe, & multi Auctores ſint, [4] & ipſe quidem *Arcagathum* quendam artem ibi antea exercuiſſe meminit: [5] itaq; hoc ſolum ſignificaſſe intelligendus eſt; nullum illis temporibus Romanos habuiſſe Medicum, qui artis peritiâ, vel nominis famâ inclaruerit; artemq; ipſam interea jacuiſſe penitùs, nullo lo-

[1] Lib. 2. c. 5. [2] In vita Cat. [3] Hiſt. Nat. l. 29. c. 1.

[4] Peſte Romæ circiter annum 301. graſſante, Medicos ægris curandis non ſufficere meminit Dion. Halicar ---- it. Plaut. Rud. 5. 3.

GR. Quid tu, num Medicus quæſo es?

LA. Immo edepol una litera plus ſum, quam Medicus. GR. Tum tu Mendicus es. [5] Ibid.

co aut honore habitam, nec nisi à Servis & extremæ sortis hominibus administratam: quos fere omnes à Græcis, (qui magnam Italiæ partem, Siciliamq; tunc omnem tenebant) aut bello captos, aut pretio emptos, aut fugitivos deniq; esse verisimile est: quum in Græcia Medicorum servulos, dominos consectando, [1] ægrosq; simul obeundo, Medendi sæpe artem didicisse, atq; exercuisse certissimum est.

HORUM autem nonnulli libertatem tandem, seu Dominorum gratiâ promerendâ, seu pretio dato adepti, officinas plerumq; ad operam suam, artisq; instrumenta publicè vendenda conducere solebant, quas *Medicinas* Plautus vocat; [2] quasq; perinde ac tonstrinas, conciliis, cætibusq; otiosorum frequentari solitas docet. Servos enim ex pecunia illâ, quam de demenso suo parcendo, geniumq; defraudando corradere sæpe solebant, libertatem haud raro emisse constat: [3] qui verò artem ullam habebant, omnium certè facillime peculium sibi, lucrumq; quoddam adventitium, Dominorum concessu, ad emendam libertatem conficere poterant: quod Medicis præcipuè accidisse, dum eos tamen inter infimos hominum recenset, indicare videtur Seneca: [4] qui divitias in bonis nequaquam esse numerandas contendit, propterea quod ejusmodi bona *in Arte medendi humillimis quibusq;* contingere videmus.

QUUM verò Græcia tandem, & Asia subactæ, Imperioq; adjectæ essent; tum luxu inde omnia, deliciisq; Romæ diffluere; Græcorumq; artes in Urbem introductæ priscam illam vitæ disciplinam, simplicitatemq; omnem corrumpere; Principesq; viri tum primùm Græculos undiq; servos, artibus instructos, & Medicinæ præcipuè peritos, qui & valetudini & luxuriæ simul ministrarent, conquirere sibi ac omni studio coemere cæperunt: neq; Procerum posthac Divitumvè domus ulla *Medicis Servis* vel pluribus vel singulis

---

[1] *Κατ' ἐπίταξιν τῶν δεσποτῶν καὶ θεωρίαν καὶ κατ' ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κτῶνται ὑπηρέται τῶν Ἰατρῶν.* Plato l.l. 4. 834. [2] Amphit. 4. 1. [3] Plaut. Rud 4. 2. It. Senec. Ep. 80. [4] Senec. 85.

ad

ad minimum caruiſſe videtur; quorum deinceps in manibus Medendi Ars, ac provincia ferè omnis verſata eſt. Medicorumq; adeò numerus dum in Urbe magis indies creſcebat, rarò tamen adhuc de Medicinâ ipsâ, ejuſve Profeſſoribus, tanquam de re humili & abjectâ nimis, apud Auctores mentio occurrit: neq; præter *unum Arcagathum* cuivis unquam Medico ante J. Cæſaris ætatem, jus Civitatis datum reperio: primuſque, ut opinor, circum idem tempus *Aſclepiades quidam*, Medendi arte celebris fuit; qui cum Rhetor primò fuiſſet [1] nec remedia noſſet, quum Rhetoricam tamen ſibi minùs quæſtuoſam inveniſſet, ut ſagaci erat ingenio, ad Medicinam ſe convertit, ac famam inde magnam atq; autoritatem adeptus, in Ciceronis deinceps amicitiam & familiaritatem [2] eſt receptus.

ROMÆ interea tanto ſemper in dedecore ars tota jacuit, ut *ſolam eam Græcarum artium*, magno licet fructu propoſito, *Romani gravitate ſuâ indignam* [3] judicarint; *pauciſſimiq; illi Quiritium*, qui quæſtu vix tandem allecti, eam non niſi ſerò attigerint, tanquam *ad Græcos transfugæ* habebantur. Apud illos bellicæ virtutis laus & ſplendor primum ſemper locum obtinuiſſe, primamq; ad gloriam commendationem præbuiſſe videtur; qui verò in togâ potius, foroq; verſari, & pacatiora ſequi ſtudia maluerunt, *alii*, ut ait Cicero [4] *ſe ad Philoſophiam; alii ad jus Civile, alii ad eloquentiam applicuerunt*. Hiſce ſe Artibus ingenuus quiſq; exercuit; hiſce ſolis viam ſibi ad opes, famam, honores patefecit: quem verò unquam Romanorum ad Medicinam ſeſe applicuiſſe, quemvè Civem ex eo ſtudio laudem & gloriam reportaſſe legimus? quod tamen *ordini, cui convenit* (ſervis utiq; & libertis) *honeſtum eſſe, Cicero ipſe* agnoſcit. [5] Neq; mirum ſane, veteres illos, qui liberalium Artium tractationem ad

[1] Plin. Hiſt. Nat. l. 25. 2. it. 26. 3. [2] Cic. de Orat. l. 1. 14.
[3] Plin. lib. 29. 1. [4] De Offic. 1. 32. [5] Ibid. 42.

Servos

ſervos minimè pertinere arbitrabantur [1], atq; ib iis prorsùs ſtudiis, quibus ipſi dare operam ſolebant, ſervos legibus arcebant, [2] Medendi Artem à ſervis omnino occupatam, atq; adminiſtratam, tanquam *illiberalem* ac *ſordidam* rejeciſſe.

HAUD tamen negandum eſt, quin cum ſervulis hiſce Medicinam exercentibus, alii quoq; ſeſe conjunxerint *Græculi eſurientes*, qui quæſtûs causâ è Græcia Romam effluxerint, liberæ fortaſſe, ſed humilis certe atq; abjectæ conditionis; quippe gens illa omnis tanto Romæ in contemptu habita eſt, ut nomen ipſum *Græcus* [3], tanquam contumelioſum quiddam & opprobrii plenum, jactirare plebs atq; in ore habere ſolebat: Hos verò omnes J. Cæſar, [4] ut *Urbi bellis Civilibus exhauſtæ frequentiam priſtinam redderet, Civitate donavit*. Atq; hæc prima Medicis ad honores janua patefacta; hoc primum iis dignitatis fundamentum jactum videtur; qui apud alios deinceps Principes gratiâ ſæpe valentes, opibuſq; inde & variis immunitatibus aucti, ex ſervili atq; ignobili ſtatu, ad honeſtum tandem; atq; ex tenebris illis & obſcuritate in lucem paulatim & ſplendorem quendam evaſerunt. Artem autem ipſam, magnis licet privilegiis munitam poſthac atq; ornatam, vix unquam tamen, ut mihi videtur, inter liberales cenſeri; contra verò; apud Juriſperitos à Studiis [5] liberalibus diſtingui ſemper & ſejungi reperio.

ATQUE hæc jam, quæ de Medicis Romæ degentibus expoſui, non conjecturâ modò probabilia, ſed vera omnia ac

---

[1] *Οὐ χρὴ ποτ' ἄνδρα δοῦλον ὄντ' ἐλευθέρας γνώμας διώκειν*. Eurip. Antiop.

[2] Servum hominem cauſas orare leges non ſinunt. Ter. Pher.

[3] Plutarc. in vita Ciceron. p. 863.

[4] Sueton. J. Cæſ c. 42.

[5] Sed etſi Salarium alicui Decuriones decreverint; ut puta, ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum, vel ob Medicinam. l. 4. de Decret. ab ordin. faciend. it. exceptis, qui liberalium Studiorum Antiſtites ſunt, & qui medendi curâ funguntur. l. 1. Cod. de Decret. Decur.

certa planè esse, ex constanti Auctorum omnium fide comprobari facilè potest: Quamvis enim, ut supra dixi, per prima illa ab Urbis ortu secula, altum quasi de re totâ sit silentium; ex consequentium tamen seculorum Scriptoribus plurima, nec illa quidem obscura, suppetunt testimonia, quæ sententiam meam prorsùs confirmant: neq; cuiquam certè dubium erit, quænam in prisca illa Urbis & Civium paupertate Medicorum fuerit conditio; cum florente jam, opibusq; omnibus affluente Republicâ, ignobilem eam, servilemq; planè fuisse apparuerit: ad rem itaq; probandam accedamus.

PERVULGATA quidem est illa de *L. Domitio* Historia [1]; quem Corfinio capto, ne in Cæsaris potestatem veniret, *Medico servo* suo imperasse legimus, ut venenum sibi daret; expertum tamen Victoris clementiam, *Medicum* statim *manumisisse*, quod prudens minùs noxium temperasset. Cleanthem quendam, Catonis *Medicum & Libertum*, Domini manum obligâsse [2], atq; intestina moribundo reposuisse, vulnusq; consuisse Plutarchus narrat: Augustus magnâ quâdam annonæ caritate, servitiorum partem, exceptis *Medicis & Præceptoribus*, ex Urbe expulisse à Suetonio dicitur: [3] exstatq; ejusdem Principis epistola, ad *Agrippinam neptem* his verbis scripta: [4] *Mitto præterea cum eo ex servis meis Medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, retineret. Antonium* etiam *Musam* (quem liberum Sponius [5] ingenuumq; fuisse existimat) Medicorum ferè omnium celeberrimum, *Annulo aureo* & *Statuâ æreâ* publicè donatum; Augusti tamen *Servum* & *Libertum* deinde fuisse ex *Dione* discimus [6]. Primus ille *Musa* Balneorum usum improbasse, & frigidâ omnino ægros demersisse dicitur; eandemq;

[1] Sueton. Nero, c. 2. Plut. in Vit. Cæs. 724.
[2] In vita Cat.
[3] In Aug. c. 42.
[4] Id. Calig. c. 8.
[5] Spon. Recherches curi d'Antiquitè Differt. 27.
[6] ἦν γὰρ ἀπελεύθερος. Dio. ex Edit. H. Steph. p. 73.

hanc

hanc valetudinis tuendæ rationem ab eo ſibi præſcriptam meminit Horatius [1].

APUD Juriſperitos etiam, multæ ſæpe occurrunt de *Medicis*, tum *Servis*, tum *Libertis* propoſitæ quæſtiones. *Medicus libertus quod putaret, ſi liberti ſui Medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum*, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neq; opus facerent. Id jus necne? [2] ubi ex voce illâ, *imperantes*, abjectæ Medicorum conditionis indicium quoddam eliceré poſſumus; quum *Medico imperare* à Veteribus dici ſolere videtur pro Medicum adhibere, ſeu advocare: Sed non opus eſt plura Auctorum teſtimonia colligere, remq; ſatis claram auctoritatibus onerare, quæ magnâ ſanè copiâ ſuppetunt; extant & Marmorum antiquorum Inſcriptiones benè multæ, ad hanc ipſam quæſtionem pertinentes, quarum paucas modò, ad Argumentum meum pleniùs illuſtrandum, ex Grutero apponendas duxi.

CHRESTE. CONSERVAE
ET. CONIVGI
CELADVS. ANTON.
DRVSI. MEDICVS
CHIRURG.
&c. 581.

Θ. Κ.
Τ. ΑΙΛΙΟϹ
ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹ
ϹΕΒΑϹΤΟΥ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟϹ
ΙΑΤΡΟϹ
ΛΟΥΔ. ΜΑΤ.
ΧΕΙΡ.
335.

EROS
AVGVSTAE
MEDICVS 581.
SPOSIANVS.

M. RVFRIVS. M. L.
FAVSTVS. MEDICVS
IIIIII VIR. AVG.
464.

EVTYCHVS. AVG. LIB. NERONIANVS. MEDICVS. LVDI.
MATUTINI. 335.

---

[1] Epiſt. l. 1. 15.

Nam mihi Baias
Muſa ſupervacuas Antonius & tamen illis
Me facit inviſum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus.

[2] Lib. 26. Princip. de oper. libert.

TALIBUS monumentorum veterum, atq; Auctorum confirmata testimoniis, constans semper de servili apud Romanos Medicorum conditione opinio invaluit: primus eam, ut opinor, in dubium vocare conatus est If. Casaubonus, in Animadversionibus suis in Suetonium.

SPONIUS deinde, Antiquitatis quidem ipse scientiâ excellens, Medicus tamen, artiq; suæ nimiùm favens, opinionem hanc tanquam *vanum quoddam Robortelli commentum* irridet [1], omnemq; servitutis indignitatem, à *Medicis* in *Chirurgos* atque *Ocularios* ridiculè satis transferre conatur. Meadius deniq; noster, Sponium omnino sequens, magnificentiùs tamen, & gloriosiùs omnia de Arte suâ prædicat. Casaubonus enim Medicos licet non omnes, at plerosq; tamen è Servorum numero, neq; ullos quidem Romanos, sed Græcos planè omnes fuisse fatetur: Sponius in hoc præcipuè elaborat, ut à Servis ad proximum Libertinorum ordinem medendi artem evehat, atq; uno quasi gradu altiorem ponat: Meadius autem nihil omnino servile, nec humile quidem Medicis ascribi patitur [2]; sed in libertatem omnes, ac ingenuitatem simul asserit; Chirurgos solummodò, tanquam servile pecus, atq; extremæ sortis homines, liberè nobis lacerandos propinans. Sed quibus tandem Argumentis hi tanti viri ad probandum utuntur, operæ pretium erit considerare.

CASAUBONUS quum animadvertisset *Medicum* quendam, [3] quem *J. Cæsar* à prædonibus captus, secum habuisse à *Suetonio* dicitur, *amicum Cæsaris* à *Plutarcho* [4] appellari; aliosq; itidem Artem illam profitentes Principum Virorum amicitiâ nonnunquam ac familiaritate usos esse; ejusmodi homines, quibus tantus honos habitus esset, *Ser-*

[1] Spon. Recherches Curieuses d'Antiq; Differt. 27. It. Miscellanea Erudit. Antiq. Sect. 4. p. 141.
[2] Mead. Oratio Harveian. p. 8.
[3] Animadvers. in Sueton. p. 8.
[4] In vita J. Cæs.

vos

vos fuiſſe ſuſpicari, tanquam ridiculum credituq; abſurdum arguit: hoc cum ille, tum poſt eum Sponius, argumento maximè utitur. Sed miror non animum attendiſſe Viros doctiſſimos, *amicorum cohortes* in plures gradus & ordines à Magnatibus ſegregari ſolere [1]; ut Lampridius de Alexandro Severo loquens, *tantæ eum moderationis fuiſſe ſcribit*, [2] ut *amicos non ſolum primi & ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſeret*. Neq; mirum videri debet, non modo Libertinos ſed & Servos etiam, in *inferiorum Ordinum amicis* interdum numerari; cum meminerimus, quam benignè quamq; familiaritèr iſtius ſortis homines, qui fide & ingenio præſtarent, vel à Principibus Viris tractari eſſent ſoliti.

BRUTUS ad Ciceronem ſcribens [3], *Glyconem*, inquit, *Medicum Panſæ diligentiſſimè tibi commendo*; *audimus eum veniſſe in ſuſpicionem de morte Panſæ, cuſtodiriq; ut Parricidam*; *nihil minùs credendum*; *eſt modeſtus homo & frugi* —— *rogo te & quidem valde rogo*, &c. quis jam Medicum illum, Bruto tantopere carum & familiarem, *amicum Bruti* vocare dubitaret, qui tamen *Panſæ Coſ. Servus*, aut ſaltem *Libertus* erat? Ciceroni autem ipſi nihil unquam *Servo ſuo Tirone* dulcius aut carius fuiſſe, epiſtolæ ſuæ ad eum miſſæ ſatis declarant: ob cujus tandem manumiſſionem gratias ei per litteras Q. Cicero frater agens [4], *Gratiſſimum*, inquit, *mihi feciſti, cum eum indignum illa fortunâ, nobis Amicum, quàm Servum eſſe maluiſti*: tanquam nihil aliud eſſet Manumiſſio, quàm è ſervitute in amicitiam Domini tranſitus: hoc autem Medicis præcipuè & Præceptoribus contigiſſe, ut in *Amicos facilè tranſirent* teſtatur

[1] Conſuetudo iſta vetus Regibus, Regeſque ſimulantibus populum amicorum deſcribere: apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, &c. Senec. de Ben. l. 6. 33. It. de Clemen. 1. 10. It. Sueton. Tiber. c. 46.

[2] c. 20. [3] Epiſt. ad Cic. 6. [4] Cic. Ep. fam. ad Tiron. 6.

Seneca,

Seneca ; [1] quibus scilicet Artes ipsæ, quas profitentur, Dominorum gratiæ promerendæ hominibusq; beneficio obligandis omnium maximè sint opportunæ. Sed quid tandem ad amorem Domini erga servum significandum gravius esse potest, quam Inscriptio publicè dicata? hujusmodi autem vetustam quandam exhibet *Turrius*, [2] Aquileiæ repertam, quàm summus, uti videtur, Coloniæ Magistratus *Servo suo Medico* posuisset.

PHAEBIANO
SER.
MEDICO
FABIANUS
COS.

Hanc *Inscriptionem*, inquit Auctor celeberrimus, *ægris oculis vidisset Sponius, qui à Servorum abjectâ conditione Medicos vindicare conatus est.* In notissimâ deniq; illâ de Pyrrho Rege historiâ; hominem illum, qui Fabricio Consuli, si de pretio conveniret, veneno Regem necare promisit, *Medicum* Plutarchus [3] ; *Amicum* Gellius [4] ; *Famulum* autem *Regis* Claudianus vocat [5] : quæ tamen omnia tum inter se consentire, tum sententiam meam confirmare, ex supra dictis facilè patere arbitror.

Sponium quod attinet ; multum ille quidem sese efferre atq; exultare videtur, quod Medicorum unus aut alter *Ciceronis, Cæsarisvè Amicus* esset nominatus: quod quam leve totum sit, ac futile, nihil necesse est pluribus ostendere. Ut verò diligens admodum erat Antiquitatis omnis Investigator; in Monumentis tamen veterum perscrutandis idem ille quidem facere videtur, quod ii omnes solent, qui certis quibusdam destinatisq; sententiis sese addixerint ; ea

[1] De Ben. l. 6. 26.
[2] Philip. a Turre Monumen. Vet. Antij. p. 361.
[3] In vita Pyrrhi. p. 396.
[4] Noct. Att. 3. 8.
[5] De Bello Gild. 271.

videlicet,

videlicet, quæ opinionibus ſuis præjudicatis favere quoquo modo credant, rapere undiq; & in partes ſuas torquere, alia verò omnia negligere facilè aut celare. Sed ut Argumentationis ejus vim omnem complecti facilius, & comprehendere queamus; Inſcriptionum quarundam veterum, quibus præcipuè cauſam ſuam evincere, contrariamq; refellere conatur, maximam partem huc quoque transferendam curavi.

I.

M. LATINIVS
MEDICUS
OCVLARIVS.

II.

M. ALLIVS. PAMPHILVS
MEDICVS
&c.

III.

C. CALPVRNIVS. ASCLEPIADES
PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS
PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO
IMPETRAVIT. &c.

IV.

ILLVSTRIVS. TI. CAESARIS.
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS. OCVLARIVS.

V. M.

V.

M. FONTEIVS
NICANDER
MEDICVS.

VI.

L. ANNIVS. CASSIVS. MITHR
ADORVS. MEDICVS. &c.

VII.

L. ARRVNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO. &c.

VIII.

TI. CLAVDIVS. IVLIANVS
MEDICVS. CLINICVS. COH. IIII.
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET.
TVLLIE. EPIGONE. CONIVGI.
LIBERTIS. LIBERTABVSQ;
CLAVDIIS. &c.

IX.

P. CHARM.
SOSTHE.
MEDIC.
IIIII. VIR. AVG.

HISCE *pauculis Inſcriptionibus*, inquit Sponius, [1] *deſtrui poteſt ridiculum Robortelli commentum; qui aſſeruit, Romæ tantum ſervos Medicinam exercuiſſe. Etiamſi etenim in Inſcriptione, Illuſtrius Tib. Cæſaris ſervus fuerit Medicus; obſervandum eſt, addi Ocularius; ſicq; potiùs Chirurgum quàm Medicum fuiſſe. At in aliis lapidibus Medici ſoli ingenui, aut liberti*, &c. *quorum ultimus verò, præterquam ingenuus fuit, ſextumviratûs dignitate ornatus obſervatur.*

DE primâ autem illâ Inſcriptione, *literas*, M. L; quæ Latinii nomen ſequi debuiſſent, *libertinam* videlicet ejus conditionem indicantes, a Sponio detractas eſſe, vir doctus *Malvaſia* oſtendit [2]. Secundam quod attinet; Amicus meus *Juſtus Fontaninus*, Romanæ Eccleſiæ Præſul, vir omni literarum genere præſtantiſſimus, ſcriptiſq; in lucem editis meritò celeberrimus, in libro ſuo de Antiquitatibus Hortæ (quem inter alia plurima amicitiæ & benevolentiæ ſuæ pignora ab eo Romæ dono accepi) diverſo planè modo eam nobis exhibet; videlicet, MALLIVS PAM. &c. Nulla interpunctionis notulâ ad prænomen diſtinguendum adhibitâ: atq; ex eo Pamphilum illum è *ſervorum grege* fuiſſe, necdum libertate donatum contendit; propterea quod prænomine, quo cives omnes utebantur, careret: [3] Sponiumque deinde levitèr reprehendit, quod ultra quam par ſit, Robortelli opinionem irrideat.

DE Aſclepiade autem Medico proximè memorato, quam puerilia & inepta omnia protulit Sponius? [4] Qui Inſcriptionem ipſam in Gallicum ſermonem vertens, *ſeptem Urbium Dominium & Principatum* ab Imperatore Trajano eum obtinuiſſe aſſerit: Neq; Meadius deinde hunc tantum virum, ſeu Principem potius, *totq; Civitatum donationem*,

---

[1] Miſcell. Erud. Antiq. p. 144.
[2] Marmora Felſin. Sect. 5. c. 1.
[3] Cap. 9. p. 166.
[4] Diſſer. 27. p. 431.

in Artis suæ gloriam commemorare omisit. [1] Sed quid tandem, si Diis placet, hæc tam magnifica sibi velint? Reinesius enim, Auctor quidem ille gravis, Medicusq; celebris, (unde ipsam etiam Inscriptionem transtulerat Sponius) nihil aliud *Asclepiadem* huncce fuisse dicit, [2] quàm *servum è Calpurnia Familiâ* manumissum, qui Trajani favore *Civis privilegia & immunitatem*, non solum Romæ, sed in sex aliis Græciæ & Asiæ Civitatibus sibi, suisq; impetraverat: Nec quicquam sane ampliùs Inscriptionis ipsius verbis significari certissimum est; quippe *septem Urbium Dominatus* ab optimo & prudentissimo Principe *Mædico Græculo* donatus, non solùm incredibile quiddam videtur, sed à scriptoribus omnibus silentio præteriri nullo modo poterat.

CÆTEROS autem Medicos in reliquis illis lapidibus nominatos, quis unquam sanus Ingenuos, ut ille, atque ex familiis quarum nomina præ se ferunt, oriundos credere potest? quidni potius servos omnes fuisse existimemus, qui manumissi postea, *Dominorum* sibi *nomina*, & *prænomina* pro more assumserant?

> *Verterat hunc Dominus momento turbinis, exit*
> *Marcus, Dama*, &c.——Pers. Sat. 5. 78.

HOC sanè de *Claudio illo Juliano* quam maximè est probabile; non tam propter conjugem Græcam *Epigonem*, quam quod *Claudiæ familiæ*, è quâ ipse manumissus esset, *libertis, libertabusq;* commune Sepulchrum posuisse videtur. Sin quod minùs est verisimile, liberos eos esse concedamus; Romani tamen esse non poterant; sed ex Græculis istis, qui ab Imperatoribus Civitate donati, Magnorumque in clientelam recepti, Romana deinceps nomina usurparunt; retento tamen plerumque atque adjecto veteri Græco: Quales proculdubio (si non servi potiùs sint existimandi)

[1] Orat. Harv. p. 9.
[2] Syntag. Inscrip. Antiq. Class. 11. 4.

Cassium,

Caſſium, Fonteium, Arruntium fuiſſe ex ipſis Inſcriptionibus ſatis apparet.

SEXTUM viratum denique *Auguſtalem* quod attinet; quem Medicus ille Charmes in Inſcriptione geſſiſſe dicitur: errat planè Vir Eruditus, quod non niſi ad *Ingenuos Nobileſq;* deferri eum exiſtimaverit;· [1] quùm & Libertinis præcipuè, ſeu ſemper potiùs delatum fuiſſe multæ aliæ Inſcriptiones declarant: quarum quidem una ipſam pecuniæ ſummam memorat, quam *Medicus Servus* pro libertate; quamq; *libertus* deinde pro *Seviratu* in Rempublicam dediſſet [2].

P. DECIMVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H. S. I,,,
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP.
DEDIT. H. S. ∞. ∞.

Hier. Mercurial. Var. Lect. l. 3.

SPONIUS autem, dum Medicorum veterum conditionem liberam ac ingenuam probare ſtudet, evertit planè,

[1] Diſſert. 27. p. 435.

[2] Seviratus hicce Auguſtalis, quale tandem Munus fuerit, ſive Sacerdotium, ſive magiſtratus quidam in municipiis, haud inter Eruditos conſtat: ex Tacito [Ann. 1. 54. 1.] & Suetonio [Claud. c. 6.] diſcimus, poſt mortem Auguſti Sacerdotium quoddam in honorem Juliæ Gentis a Tiberio eſſe inſtitutum; in quod ſorte deligebantur Primores Civitatis, unus & viginti, *Sodalium Auguſtalium* nomine, qui ſacris, ludiſq; in Cæſarum defunctorum honorem conſtitutis præfuerunt; quibus poſtea extra ordinem adjecti Tiberius, Druſus, Claudius, Germanicus. Hujus Sodalitatis ad ſimilitudinem, rebuſq; ut opinor, iiſdem procurandis, *Seviratus Auguſtalis* in Coloniis & Municipiis creatus videtur: Ordo quidem inter Decuriones & plebem medius; ut ex Veteribus marmoribus patet. Honorem ipſum pecuniâ plerumq; emptum; nonnunquam tamen à Decurionibus ob merita gratuito datum; nec tamen perpetuum fuiſſe, ſed quinquennale & repetitum interdum ex Inſcriptionibus antiquis colligitur.

ut mihi videtur, quod tanto opere aſtruere laborat, cum è *Libertinorum* tandem familiâ maximam eorum partem exiiſſe fateri cogatur: quid enim tantum intereſt, *Servine* Medendi Artem exercuerint an *Liberti?* quum hos etiam in ſervitute illam cum didiciſſe, tum exercuiſſe neceſſe ſit: *Servos* autem *frugi* & *diligentes* (atque ut ex ſupra dictis conjicere licet, omnium maxime Medicos) haud *quinquennio diutiùs ſervire*, ſed in libertatem deinde emitti ſolere, *ex Cicerone* colligere poſſumus: [¹] atque hinc *Medicorum Libertorum*, quorum nomina toties occurrunt, tantus numerus effluxit; qui quidem etſi *liberi* dici poſſint, (quum tamen non omnes fortaſſe juſtâ libertate fruebantur) at *Ingenui* certè nunquam exiſtimabantur: contra verò; *Libertinos* atque *Ingenuos*, tanquam contrariæ ſortis homines, ſibi invicem oppoſitos ſemper ab Auctoribus invenimus, *Hominibus*, inquit Seneca, [²] *prodeſſe Natura jubet, Servi, Liberive ſint; Ingenui an Libertini.* Narratq; Suetonius, [³] Auguſtum *neminem unquam Libertinorum cœnæ adhibuiſſe*, excepto Mena, (S. Pompeii Liberto) *ſed aſſerto prius in Ingenuitatem.*

SED ad Meadium tandem noſtrum veniamus, qui in hac quæſtione tractandâ, [⁴] in id unum totus incumbit, ut injuſtam *Medicis* ſervitutis infamiam in *Chirurgos* penitùs removeat; *Illos* Romæ ſemper ſplendidos, honoribuſq; auctos; *Hos* tantummodò ignobiles, abjectos, ſerviles eſſe contendens: Utriq; autem cum *Medici* à Veteribus appellabantur, inde errorem hunc omnem naſci innuit, quod quos eodem nomine appellatos Viri docti obſervaſſent, eâdem etiam vitæ conditione uſos crederent. Sed parum ei felicitèr in re probandâ ſucceſſit: ex omnibus enim, quos enumerat Medicis, duos tantùm profert, de quorum condi-

[¹] Orat. Philip. 8. 11.
[²] De Vita Beat. c. 24.
[³] Aug. c. 74.
[⁴] Orat. Harv. p. 8.

tione

tione certi aliquid ac indubitati memoriæ proditur; *Arcagathum* scilicet, & *Antonium Musam*: quorum ille quidem liber & Civitate donatus, sed *Chirurgus* certè, seu ut *Plinius*, eum vocat, [1] *Medicus Vulnerarius*; Hic autem, *Medicus* planè summus, summisq; honoribus ornatus, *Augusti* tamen ut supra dixi, *Servus* & *Libertus* fuit: de reliquis illis, quorum *Romana* quidem nomina adducit, *Cassiis*, *Calpetanis*, *Arruntiis*, &c. quid constituendum sit, ex supra memoratis facilè judicabimus: quos si Cives ipse, Ingenuosq; omnes fuisse, cum Sponio credere potest; haud tamen aliis persuadere credat; *Nobiles* unquam *Romanos* Artem illam exercuisse, quam vel *infimus* quisque *gravitate suâ indignam* arbitrabatur; quamque *nullus omnino Quiritium*, nisi serò admodum, nec ut *Clericus ipse* fatetur, ante Cæsarum ætatem unquam attigit.

OBSERVAT autem Vir Celeberrimus, in Nummo quodam *Rubriæ Familiæ*, *Anguem Deæ Salutis Simbolum* conspici, quem ad florentem tunc in ea familia Medicinæ laudem referri omnino oportere censet [2]: miraturq; Patinum & Vaillant, Medicos quidem ambos, in Nummis Familiarum Romanarum explicandis, *rem Arti suæ tam honorificam* prætermisisse: at in aliis etiam Nummis Consularibus, quos ipse quoq; exhibet [3], Uno scilicet *Juniæ*, altero *Aciliæ Familiæ*, ipsa *Deæ Salutis* imago expressa cernitur: num Medici propterea familiarum istarum Principes? nihil sane minus eredendum. Sed *Juniorum* nummus, ob Templi *Deæ Saluti* ædificati memoriam, percussus existimatur, quod *Junius Bubulcus* ex voto, quod Consul fece-

[1] Hist. Nat. l. 29. 1.
[2] Orat. p. 11.
[3] Ibid. p. 31. Asserit [p. 49.] inter alias Romanorum familias, Rubriam Medicinæ laude floruisse; Pliniumque testem adducit; qui tamen nec de Rubria, nec de aliis istis familiis ne verbum profert; sed inter Medicos tantummodo celeberrimos memorat Cassios, Carpitanos, Arruntios, Albutios, Rubrios --- quos Servos potius, quam Familiarum Principes fuisse, ut modo dixi, haud dubitandum est.

rat,

rat, Dictator dedicavit A. U. 451. [1] Alterq; iste *Acilianus*, munus aliquod, vel magistratum, ad valetudinem populi contra pestem, morbumve quendam contagiosum tuendam institutum, gestumq; feliciter denotat, uti ex ipsa inscriptione Viri docti judicant. MV. ACILIVS. III VIR. VALETV. Quidni igitur cum Patino, *Rubriorum* etiam Nummum illum (quo Æsculapii in Urbem advectio denotari atque exprimi videtur) ad operam aliquam singularem ea occasione Reipublicæ præstitam, seu ad sumptus Templo ejus ædificando, vel ornando postea ab ea familia præbitos, referendum arbitremur? Sed ut privatos hosce Cives omittamus; in Imperatorum sæpissime nummis eadem illa cernitur *Salutis* effigies; significans videlicet, salutem a Principe vel Imperio publicè, vel certis quibusdam Civibus præcipuè datam [2]; seu vota & sacrificia pro conservatione, & valetudine Imperatoris à populo, vel Civitate aliqua facta. Ex talibus autem nummis, si Imperatores ipsos medicinam exercuisse putaremus, haud magis absurdum esset, quam si Nobiles illos *Junios*, *Acilios*, *Rubrios*, Consulum adhuc ætate, Artem illam professos crederemus; quæ illis certe temporibus dedecus potius & infamiam, quam laudem, gloriamve nummis percutiendis celebrari dignam attulisset.

DUM autem a Medicis contumeliam propulsare conatur, caveat tandem vir dignissimus, ne in alios ipse quidem contumeliosus reperiatur; Chirurgos velim, viros sanè honestos, & Republicæ utiles; quosque a reliquis Medicis,

---

[1] T. Liv. l. 10. 1.

[2] Cum conjuratio quædam (cujus Princeps Cn. Cornelius, Pompeii magni ex filia nepos) contra Augustum esset detecta, Liviæ Augustæ consilio atque intercessione non veniam modo Conjuratores, sed honores & Magistratus ab Imperatore consecutos esse, tradit Dio: [Cæs. Aug. l. 55. p. 85.] In cujus rei memoriam Nummum illum percussum esse, verisimile est, in cujus aversa parte, Liviæ facies conspicitur, hac inscriptione; SAL. AVG. Vid. Agostin. Dial. 2. Tab. 45. Statuam etiam illam, quæ Romæ adhuc cernitur, Liviæq; Augustæ faciem, sub Deæ Salutis imagine exhibet, ob eandem causam, atque eodem tempore fingi credibile est. Vid. Raccolt. di Statue di Roma. ---

nec nomine, nec conditione antiquitùs unquam diſtingui, aut ſegregari reperio: Niſi fortaſſe credendum potiùs ſit, Chirurgicam Medicinæ partem, cum antiquiorem, tum majori etiam apud veteres honore fuiſſe habitam. Ipſe quidem *Æſculapius* non aliam ob cauſam in Deorum numerum relatus dicitur, quàm quod *Specillum* (Chirurgorum quoddam inſtrumentum) *invenerit, primuſq; vulnera obligare docuerit:* [1] ejuſq; itidem Filios, ab Homero tantopere celebratos, *Podalirium* & *Machaonem*, non ad peſtem morboſve medendos, ſed ad vulnera ſolùm curanda adhiberi cernimus: *Ex quo apparet*, inquit Celſus, [2] *has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſq; eſſe vetuſtiſſimas.* Arſque ipſa Chirurgorum adeo propria ab Antiquis exiſtimabatur, ut nomen inde, à telis ſcilicet eximendis, apud Græcos eam duxiſſe *Sextus Empiricus* Auctor eſt: [3] Ἰατρικὴ εἴρηται τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως. Quam quidem nominis definitionem ab Homero planè ipſo ſumſiſſe videtur.

> Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
> Ἰούς τ' ἐκτάμνειν, &c.————Iliad. λ. 514.

HIER. Mercurialis, Medicus quidem ipſe doctiſſimus, omnes priſcos Medicos Chirurgos fuiſſe agnoſcit; atque ad Galeni uſque tempora Medicamenta ſibi ipſis paraſſe: Uti *Compertum habent*, inquit, [4] *qui in Auctoribus antiquioribus*, atq; Hippocrate præcipuè ſunt verſati.

APUD veteres certè Romanos, communi Medicorum nomine cum utroſque appellari, tum utraſque ſimul Medicinæ partes ab eodem ſemper exerceri certiſſimum eſt. *Arcagathus* ille, qui omnium primus Medicinæ profitendæ causâ è Græciâ Romam, Anno Urbis 535, veniſſe dicitur,

[1] Cic. de Nat. Deor. l. 3.
[2] Præf. lib. de re Med.
[3] Adv. Mathem. l. 1. c. 2.
[4] Var. lect. l. 1. c. 13.

[1] *Chirurgus*, ut ante dixi, fuit, tabernamque ad operam locandam publicè datam habuit. *Plautus* etiam, qui eodem tempore, ſeu poſteriùs aliquanto floruit, de *Medicis* quoties loquitur, haud alios ac *Chirurgos* eſſe confirmat.

Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent,
Manendo Medicum, dum ſe ex opere recipiat;
Odioſus tamen vix ab ægrotis venit;
Ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio,
Apollini autem brachium, &c.——

Menæc. 5. 3.

C. MARIUM crura tumoribus quibuſdam deformata Medico ſecanda obtuliſſe legimus; [2] & ſecandi acerbitatem ſine ullo doloris indicio pertuliſſe. *Cicero* de Milite Veterano ac Exercitato loquens [3], ob vulnera fortiorem eum fieri dicit, nec requirere aliud, quàm *Medicum, à quo obligetur*. *Catonis Medicum illum* ſupra memoratum *Chirurgi* proprio munere fungentem vidimus. Gladiatorum denique *Ludi ſinguli*, ut ex Inſcriptionibus plurimis apparet, ſingulos ſibi Medicos habuerunt, in utrumque certè, tum *valetudinem tuendam*, tum *vulnera medenda*, paratos æquè ac inſtructos.

IMPERATORUM autem poſtea temporibus, cum Civium ſimul & Medicorum multitudo in immenſum quaſi excreviſſet; atque in Urbe opibus omnibus abundante, vel *quælibet Medicinæ pars* vectigal, quæſtumq; ſatis amplum profitentibus conficere valeret; tum primùm in partes varias ſecari quaſi, & dividi Medendi Ars; tum ſingulæ deinceps à ſingulis tractari, & adminiſtrari; tum vel minima quæque corporis pars, certuſvè quilibet dolor *Medicos ſibi*

[1] Plin. Hiſt. Nat. l. 29. 1.
[2] Plut. in C. Mar.
[3] Tuſc. Quæſt. l. 2. 38.

proprios,

proprios, & *unicè addictos* habere cœpit: [1] atque hinc denique *Clinicorum*, *Chirurgorum*, *Oculariorum*, *Auriculariorum*, &c. nomina effluxere; quæ tamen omnia uni interdum, eidemq; adhuc competere, ex Inſcriptione ſupra allatâ, atque aliis multis liquet.

POSTREMIS temporibus, inquit Menagius, [2] *partem illam Medicinæ, quæ manu medetur, ab aliis homines ſejunxerunt: quando factum hoc diſſidium, dixerit alius, non ego; certe poſt Antoninos*. Scio autem Celſum, prout à Clerico citatur, [3] multis antea annis factam hanc Medicinæ partitionem indicare videri: dubitat autem vir eruditus, an Celſus de eâ, tanquam facta jam, & in uſum perductâ; an de re ſolùm utili, quamq; inſtituendam exoptarat, eſſet locutus; cum Celſi ipſius ætate, antiquum adhuc morem obtinuiſſe, omneſq; ſimul Medicinæ partes ab uno eodemq; tractatas ſæpè eſſe appareat.

QUICQUID verò de hac re ſtatuamus; hoc unum certiſſimum eſt, *Medicos* & *Chirurgos* pari ſemper conditione & dignitate apud veteres Romanos extitiſſe: viderintq; tandem ii, qui conſtantem doctorum ferè omnium opinionem, tanquam *ridiculum commentum, in opprobrium artis prolatum*, inſectantur; quam temerè ipſi, nullo Antiquitatis Monumento, nullo Auctore muniti, in alios, immerentes illos quidem & indignos, mera opprobria jaciant.

MEADIUS autem, ne, ſi nihil omnino de ignobili Medicorum veterum ſtatu fateretur, obſtinatum nimis & pervicacem ſeſe oſtenderet; concedere tandem aliquid videtur, ſed tanta verborum obſcuritate involutum & quaſi vi extortum, ut ſenſum inde vix ullum quidem, nedùm clarum & di-

[1] Medicos fortaſſe quis accipiet, etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur: ut puta, ſi Auricularius, ſi Fiſtulæ, vel dentium, &c. l. 1. §. 3. Dig. de var. & extraor. cognition.

[2] Amænitat. Jur. Civ. c. 35. p. 227.

[3] Hiſt. de la Medicine. l. 1. pt. 2. c. 9.

ftinctum elicere facilè valeamus: ejufq; ideo verba integra huc appofui, ut folertior aliquis ea mihi expedienda fufcipiat.

NIHIL igitur fervile, inquit ille, [1] *aut tenue quidem, Artem noftram adhuc dedecorat. Sed ut planè & fine fuco totam rem dicam, fimul cum ingenuis multis, & doctis viris, non pauci fcientiæ & fortunæ bonis inferiores, illis temporibus Romam veniebant*; qui *etfi non Medicamentis, fed manu curarent, Medici tamen appellabantur. Hi in divitum & Magnatum clientelam fe conferebant, & Servi agebant, donec Civitatem confequerentur: inde Liberti, nomen alicujus Familiæ Romanæ fibi adfcifcere folebant: neq; raro, fi ingenium ftudio literarum excoluiffent, morbis etiam internis medebantur*, & *in Medicorum Clinicorum cenfum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Mufa*, &c.

HÆC ille; fed ut mihi quidem videtur, cum verbis tum fententiis fibi ipfi planè repugnans: ut enim alia omittam; ego fane haud intelligo, quemadmodum ii, qui è Græcia *fponte* quidem veniffent, atque in Divitum clientelam fefe contuliffent, *Servos* deinde *Romæ agere*, iidemq; *Magnatum Clientes* & *Servi* fimul effe poffent? Hujufmodi autem omnia, (five errata, feu minùs tantùm accurata vocemus) & longè quidem majora, tali certè viro facilè funt ignofcenda: cui tantis rebus occupato, otium ad hujufmodi nugas exquirendas nullo modo fuppetit; cujufq; affiduis occupationibus quantùm unquam moræ interponatur, tantum fane de publicis commodis detrahitur.

CLERICUS autem ille, quem fupra nominavi, in libro illo, quo Medendi Artis hiftoriam diligentèr & eruditè contexuit, hanc omnem quæftionem copiosè tractat; [2] & quamvis Medicus, non dubitat tamen, quæ in utramq; partem dici folent, in medium proferre, aliis judicium relin-

[1] Orat. p. 9.
[2] Lib. I. p. 3. c. 2.

quens:

quens: in hoc tantùm errare visus; quod Sponii Autoritatem sequens, Medicos illos *Arruntium, Calpetanum, Rubrium, &c.* quos *Romanorum primos* Medicinam attigisse dicit, ex *amplissimis Civium familiis* ad eam illicò accessisse credat: quasi artem illam, quæ Romani Civis existimationi nocere planè existimabatur, *Nobiles* statim exercuisse, omnino esset credibile: idque *Augusti, Tiberiivè* ætate, cum vel multis post annis Medici, ut supra dixi, in *humillimis mortalium* à *Seneca* adhuc numerantur.

SED de hac omni disceptatione hactenus: nec quemquam jam existimare velim, me horum aliquid disputasse, ut Medendi arti, honestæ ei quidem atque imprimis utili, invidiam aliquam conflarem, dedecusvè inurerem: Nihil minùs mihi in animo erat; quippe haud alius quisquam Medicorum plures, amicitiâ sibi & consuetudine omni conjunctos habet, aut habere magis cupit: quorum plerosq; cognovi semper, tum Viros bonos, tum in omni ferè doctrinæ genere excellentes. Nec ipsam fanè quæstionem ad veram artis gloriam, laudemq; pertinere omnino arbitror: etenim hoc sibi Medicina nullo modo præcipuum, sed cum aliis plerisq; artibus commune habet; quod Romæ tardiùs olim recepta, neglecta & contempta fuerit: [1] neque *Medici* magis vituperandi, quod à priscis illis Quiritibus nullo loco habiti essent, quam *Poetæ*; quorum familiaritatem & consuetudinem M. Cato Senatori cuidam, tanquam probrum aliquod objecisse fertur: [2] tota hæc disputatio in Historica quadam disquisitione unicè versatur; quæ etsi omnibus sane levicula; nonnullis tamen, uti spero, nec injucunda, nec homine in literis otiante indigna prorsùs videbitur; qui tamen & his fortasse graviora, uti alias fecerit, ita in posterum etiam sit aliquando in lucem editurus.

---

[1] Serò a nostris Poetæ vel cogniti, vel recepti. —— Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen Latinarum literarum. Cic. Tusc. quæst. 1.

[2] Ibid. ——

F I N I S.